

REGULUS [16]

ACTIO DRAMATICA HENRICI JOSEPHI COLLIN

(In Latinum convertit VALENTINUS FEHÉR).

RE. Fit mors officium, quom salus patriae postulat.

BO. Istuc putant homines, at officium esse quis probat?

RE. Male cupis pol argumentum. Romani sentiunt

Hoc officium, quod ut videant, opus est nulla lampade.

Quom non sim eloquens, quo sensus is modo excitetur, sit satis,

Quod sum dicturus. Eram puerus, quom pater me bracciis

Ad Coclitis tulit simulacrum. Quasi nunc quoque

Mihi videor audire verba, quae tum dixerat:

« En adspice, vitam vir iste obiecit fortissimus

Periclis seque pro aggere opponebat hostibus.

Nisi istuc fecisset, nunc non staret Romana civitas ».

Iam tum admiratione et grato animo pectus meum

Pueri se erexit et rerum praeteritarum gloria

Meis oculis se aperuit. Pars unaquaque patriae

Ara est, in qua generosus animus se sacrificat,

Idcirco, ut ipsum sequamur. Quom postillac exercitus

In castra Roma erat profectus, toties mihi

Cor palpitabat atque ocelli caligabant lacrums.

Ego sic sentiebam parvulus et alii simul:

Pro nobis illas in mortem et periculum ire copias.

Ignis atque unum desiderium ardebat in pectore:

O si, quom senuerint, illis et illorum filiis

Hoc debitum possem rependere! Heu Diespiter,

Non id rependi usque ad hodiernum istunc diem.

Quantum efluxit Romani sanguinis, quasi rivulus,

Idcirco, ut nunc etiam meus possit efluere.

Bo. Quorsum profusumst tantum sanguinis? — RE. Quod nunc quoque

Stat Roma et Romani nunc quoque Romani client.

Bo. Numquid quid illis detrahatur, quodsi Etrusci sient?

RE. Heus tu Karthaginensis, verone hoc dicis serio?

Bo. Etiam. — RE. Etiam tui cives hoc itane sentiunt?

Bo. Num tanta culpa sit, si sic existumant?

RE. Si chorda laxast, letalis sagitta non volat.


Dis gratia, Karthago per Romanos occidet.


(Ad proximum numerum).

# ALMA ROMA

Per.  
Lat  
011

C. DEL VECCHIO.





*Pauca exemplaria supersunt*

JOSEPHI FORNARI operis, cui titulus:

## COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

**Editio altera locupletior.**

Venit libell. italic. 8; quibus addendae erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteras nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mileiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

## FRIDIANUS-FRANCISCVLI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Ils vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXVI, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 550 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1100, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXIV

Romae, Mense Maio MCMXXXVII

Fasc. V

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXVI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequias; ante solvendum rectoque tramite mittendum sive ad Iosephum Fornari doctorem Romam, Via del Governo Vecchio, 96 sive ad Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano.

## NOSTRA RES

### Ad renovandum linguae latinae usum.

Cl. dr. G. Lurz Monacensis, in fasc. I huius anni. Commentarii, cui titulus *Societas Latina*, ad argumentum redit de renovando linguae latinae usu: « Agitur — inquit — de generali quaestione, quantum novis horum temporum rebus effingere liceat nova nomina; singularis quaestio pertinet ad vocem *posta*, eiusque derivata »; sed reapse in hac singulari tantum instat, atque resumptis quae hinc ego, inde Avenarius scripsimus, unguibus et rostris pro *posta* decertat.

Quod quidem vocabulum vere « prodigiosum » iudicat; quippe, iuxta exempla a Du Cange relata, tot ad significanda adhucbitum viderit: « quae — ait — qui cursim legerit, vix poterit non concludere vocabulum tam mirum usurpandum non esse pro cursu publico, voce ab antiquis scriptoribus tradita. Sed non ita res se habet. « *Posta* » idem esse vulgo putatur quod participium « *posita* » (sc. statio). In locis a Du Cange citatis, non iam ut participium, sed ut germanum verumque nomen substantivum usurpatur, unde alia voca-

ves in re egiisse « hospites », sive « hospitatores cursorum », siquidem apud postas construi solerent diversoria, ita ut cognomen etiam permultis huiusmodi diversoriis inditum sit « ad postam », textum refert « decreti sive dissolutionis cuiusdam sotietatis » d. an. 1500, in quo utrique socio (duo enim esse videntur) vetatur facultas « alicui euntis per postas commodare equum aliquem nisi de equis dictae sotietatis, nec caballarium sive cursorem aliquem expedire nisi de consensu alterius partis sive consotii... ». Addit deinde: « Sequentibus quoque saeculis vox « posta » saepe usurpatum, ita tamen ut non excludantur alia vocabula. Praevaralet iis quoque temporibus numerus pluralis « postae » (aliter atque in linguis modernis) ». Ad rem, nonnulla a Luzio afferuntur exempla, ubi phrases exhibentur: « per postas nostras » — « Magister postarum » et sim.; sed haec simul: « Locumtenens generalis Veredariorum seu Postarum quos vocant, hoc est cursorum equestrium per equos dispositos praefecti seu Magistri »; « Comes cursorum... generalis praefectus »; « apud Caesares cursorum magistri »; in quibus ultimis vero vox « posta » minime appetat.

Contra, (Lurzii verba ad unguem referimus) « non possunt non adiri hac in quaestione multi illi, qui ex humanistarum temporibus edebantur libri de linguae Latinae elegantis vitandisque barbarismis et so-loecismis... quibus vocem « posta » displacuisse non est mirandum »; allatoque exemplo Noltenii, Nizzolii, Wagneri, qui in suo *Indiculus vel Alphabeto vocum barbararum frequentioris usus pro « posta »* proponit « cursus publicus, veredarii » et « equi cursorii pro postariis equis »; exque eo quod auctor definiverit ipsum suum *Alphabetum barbarum* indicem vocabulorum quorundam omnino barbarorum quotidiano tamen in usu nimis frequentium, concludit noster: « Quotidiano igitur tum in usu fre-

quenti fuisse vocem « posta » hoc loco aperte atque dilucide affirmatur. Atque recte quidem. Primum enim documento sunt multi ecclesiarum parochialium annales, ... item documento sunt schematismi qui vocantur, sive calendaria; ... praeter eundae denique non sunt tesserae postales », ut « de Austriaca quadam tessera postal a. 1883 hoc modo inscripta: IMPERialis REG(ia) POSTA AUSTR(iaca) ».

Ad recentissima tempora demum veniens, adnotat novum Codicem — (hoc enim operis titulus est, non *Corpus*) — Iuris Canonici recensere « tabellarios publicos » et « tabellariorum officium » pari sensu atque « institutum postale »; dum commentarius *Acta Apostolicae Sedis* habet « per publica epistolarum diribitoria (vulgo « posta ») »; et adiectivum *postalis* haud raro occurrit apud philosophiae scriptores, quorum duos refert.

\*\*\*

Fideliter mihi video clarissimi Lurzii haud breve scriptum in compendium redigisse, cuius imprimis quae occurunt exempla de origine vocis « posta », eo magis, prout ipse fatetur, vox eadem plurali numero adhibita saepenumero inveniatur, in favorem sunt potius deductionis a participio verbi pono: (*stationes postae; loca posta*); quod si substantivum « posta » (quomodo natum non patet) significat « locum si non circumsaepsum aut metatum, tamen certe constitutum sive certis limitibus circumscriptum », atque translato sensu « primo loco aliquid certum et constitutum, sive pactum », haud quidem mente concipere valeo quomodo totum illud, quod Lurzius vocat « institutum postale » ea persequi possit. Neque nobis tempus suffragatur « quo vox eadem usurpari coepit ut nomen substantivum ». « Apud scriptores classicos non inveniatur; loci a Du Cange citati exordium sumunt ab nono demum saeculo; conicere

tamen licet eam multo ante in usu fuisse ». Unde, quaeso, conicere licet? Num ex iis publicis documentis, quae, mense novembri superioris anni, hoc ipso in Commentario exhibui, in quibus nunquam occurrit? Venit, iterum iterumque affirmo, quum ex illabentibus, permanantibus barbarorum sermonibus factum est vulgare illud plebeium, oppidanum, rusticum eloquium, quod in scripturis praesertim quae privatas res respicerent, videmus, ubi longe plura alia quam *prodigia vocis « posta »* reperi potes; quae quidem diu et post renatas literas misere permanserunt, ut in allato exemplo dissolutionis *sotietatis*, ubi *eunti illi per postas* dignum faciunt exadversum *consotii*, quos spero nunquam fore ut ad renovandum latinæ linguae usum et ipsi inducantur. Permanserunt imo, usque ad hodiernos dies, in latino illo scholastico, quod dicunt, quodque non in scholastico tantum, philosophico atque theologico viva voce dicendi genere passim invaluit, sed in libros quandoque transiit, ut in operibus duobus a Luzio sub finem scripti sui memoratis; in quibus, heu non unicis!, non « postam » tantum expromere ipsi liceret, sed, ab imis ungulis ad summum verticem, totidem « dico quod », verba depontentia passiva facta, et eiusdem generis gemmas, quibus profecto is nunquam se ornabit. Atque tamen hisce scriptoribus auctorum exempla non desunt ad quos sese conforment, a Melchiorre Cano ad Devoti, a D'Annibale eiusque magistro Latini ad Sebastiani et Leonem XIII Pontificem. Qui quidem ut inveterato ac pestifero morbo mederetur, litterarum atheneum Romae apud ecclesiasticorum studiorum Universitatem constituit, quemadmodum eius successores, usque ad Pium XI, quem Deus diutissime sospitet, peculiarem latinitatis scholam apud Gregorianam et Pontificium utriusque iuris Institutum voluere.

Sed ut ad vocem « posta » proprius revertamur, id non est praetereundum, ex ipsis allatis documentis deduci posse eam in infimo et corrupto vulgi eloquio manuisse: in alio enim per quod Baptista de Taxis nobilitatio (?) a Carolo V approbat, hic dicitur « praefectus postarum seu tabellariorum »; in alio: « Veredariorum praefectus... locumtenens generalis Veredariorum seu Postarum quos vocant, hoc est Cursorum equestrium per equos dispositos, praefecti seu Magistri »; in tertio: « Veredariorum seu Postarum Magister », ne dicam de duabus aliis, ubi vox « posta », ut supra adnotavi, desideratur: legimus enim tantum: « Cursorum generalis praefectus »; « apud Caesares cursorum magistri ». Recte itaque Codex Iuris Canonici quod Lurzius « institutum postale », « tabellarios publicos » appellat et « tabellariorum officium », et *Acta Apostolicae Sedis* Commentarius scripsit « per publica epistolarum diribitoria (vulgo « posta ») »; ex quo profecto non intelligi nequit: « Quod vulgus « postam » appellat, est publicum epistolarum diribitorum », voce scilicet sumpta a verbo « diribeo », hoc est « distribuo ». Quod denique maius argumentum, in nullo latinitatis lexico, ab antiquis ad recentia, non italica tantum, sed et extera (ut apud Gallos Goelzer et Germanos Georges) lexica vocem « postam » minime inveniri, sed eius loco « cursum publicum » et eiusdem generis vocabula et phrases relata esse?

Redit itaque illud, quod rei cardinem constituere pluries contendit: Qui latinæ linguae usum apud sapientes viros restituendum curare volumus, non ad vulgi, sed doctorum latinitatem renovandam intendere debemus. Numne tu, bone Lurzi, si restituere usum Germanicae linguae deberes, popelli vocum usui patrocinareris? Et unis vocibus me contineo, nulla de intima linguae structura animaque ratione habita.

Itaque de singulari « postae » argumento, ut de similibus, mihi concludendum rursus est: Si apud documenta sollemnia, auctores classicos cuiusque aetatis, lexica, vox aliqua excluditur aliaque adhibetur, haec et a nobis adhibenda est; si nova inducta fuerit aut induci velit, quum deficiat necessitas, ea expungenda.

I. F.

## DE DECEM VERSIONIBUS LATINIS CASSANDRAE SCHILLERIANAE

Poëseos Latinae recentioris exemplaria conquirens, cognovi usque ad annum 1900 septem versiones Latinas Cassandrae Schillerianae, de quibus ubiorem institui disputationem in *Voce Urbis* (a. 1900, nn. 23 et 24). Quam commentationem quum paucis lectoribus iunioribus notam esse suspicer, eius summam hic breviter perstringam. Cognitas igitur habebam tum, quum dissertationem litteris consignabam, versiones, quarum auctores erant: Fuss (1823, iterum 1837), Feuerlein (1831), Echtermeyer (1833), Eidenbenz (1838), Svoboda (1845), Strehlke (1885), Reinstorff (1895). Fuss, Svoboda, Strehlke, Reinstorff metro archetypi servato homoeoteleutis versibus reddiderunt carmen, quo in opere quum omnes — et puro dicendi genere et numeroso rhythmorum nitore et apta extremarum in versibus syllabarum congruentia — plus minusve dextere se gesserint, tamen ceteris palmam praeripuisse videtur Svoboda. Feuerlein et Echtermeyer distichis elegiacis transtulerunt versus Schillerianos, atque ita quidem, ut ille singulas strophas ternis, hic binis distichis persequeretur, laudabiliter uterque, nisi quod ille passim verbositate, hic obscuritate laborat. Eidenbenz strophas Sappicas adhibuit, sed eius interpretatio et quod ad elocutionem et quod ad

artem metricam attinet, haud placere potest lectoribus exquisitoris palati.

Hac usus occasione corrigo, quae in commentatione mea perperam scripsi. Fuss, professor studiorum universitatis Leodiensis, natus est non anno 1800, sed — ut e libro Plassmanni (*Friederici de Schiller carmina optima eademque a I. D. Fuss conversa, Monasterii, 1900*) postea edoctus sum — anno 1782. Iam tum, quum dissertationem typis mandabam, anceps diu haerebam, ne error subasset illi numero 1800; nam scrupulum mihi inciebat cogitatio, num vir a. 1800 natus, iam a. 1837 adeo amplum carminum Latinorum volumen foras dare potuisset; sed duorum viorum, qui a. 1800 natalem Fussi exhibebant, auctoritati et consensu cedendum mihi esse ratus, in eundem errorem incedi.<sup>1</sup>

Progradientे tempore poëseos Latinae recentioris exemplis expiscandis ultra occupatus duas, mihi antea nomine tantum notatas, Cassandrae versiones inveni: alteram in libello, cui titulus: *Friederici Schillerii (!) carmina nonnulla a Francisco Philippo Lainitate donata* (Venetiis 1840), alteram in grandiore volumine, quod inscribitur: *Varia variorum carmina Latinis modis aptata offert Henricus Stadelmann* (Onoldi 1854). De quibus hic copiosius disserere mihi in animo est.

Philippi quum in aliis carminibus usus esset disticho elegiaco, in Cassandra convertenda metrum sibi elegit exquisitus, Pythamicum dico secundum, cuius specimen notissimum exhibit Horati epod. 16:

Altera iam teritur bellis civilibus aetas suis et ipsa Roma viribus ruit.

Sed quum Horatius hoc in metro puros iambos adhibeat, admittit Philippi in pedibus imparibus spondeos inrationales. Sin-

<sup>1</sup> FRIEDMANN, *Praktische Anleitung zur Kenntnis und Verfertigung latein. Verse*, Leipzig, 1836-1840; PERNWERTH-BAERNSTEIN, *Imitata*, Leipzig, 1897.

gulas strophas archetypi octostichas octonis reddidit versibus; qua re fit, ut singulis versibus poëtae brevioribus respondeant singuli versus interpretis longiores. Hanc rationem secutus Philippi evitare non potuit, prolixorem quandam loquendi modum, quo carmen poëtae concisa brevitate distinctum vel invitus reddidit exilius et verbosius. Languent legentibus insulsores circumlocutiones, quales sunt « *Peneā devinctus virgine* » (*geschmückt mit Lorbeerreisern*) « *divinitatis mens acerba Pythiae* » (*Pythischer du arger Gott*) « *videns virgo* » (*Seherin*) « *omnia laetitiam paeportant* » (*alles ist der Freude offen*). Metri necessitate coactus admisit duriores formas: larvalis (= larvalis), spectrūm (= spectrorum); citra necessitatē usurpavit locutionem « *devinctus vulgus* », quum metri ratio pateretur legitimam formulam « *devinctum vulgus* ». Post versum 62 quatuor versus exciderunt, qui responderent Schillerianis versibus: *Schrecklich ist es... dunklen Sinn*. Quos utrum interpres ipse vertere an hypotheta typis exprimere neglexerit, difficile est dijudicare. Incuriae operarum imputandum esse videtur duplex et (initio v. 15 et 27): priore loco verborum contextus exigit at, posteriore est.

Stadelmann eodem modo atque Echtermeyer vertit Cassandra. Sed quamquam et ipse octonos versus Germanicos ambitu quaternorum versuum Latinorum coartavit, tamen solerter effugit obscuritatem, qua passim offendit Echtermeyer. In arte metrica non se accommodat ad severas Ovidi normas, sed poëtarum priorum aut posteriorum mori indulgens non fastidit trisyllabos pentametrorum exitus neque abhorret a finali o saepissime corripiendo in vocibus, quales sunt « *transigo, subibo, propago* » aliaeque. Ceteroqui versus Stadelmanni quasi sua sponte manant ac decurrent, neque ullis obnoxii sunt salebris.

Exeunte saeculo XIX priores strophas Cassandrae quasi exercitii causa Latine

reddidit doctus vir Anglus Richard Shiletto Asclepiadeo usus metro: *Sic te diva potens Cypri...* Eius versionem auctore mortuo filii superstites inseruerunt ampliori volumini: *Greek and Latin Compositions* (Cambridge, 1901). Atque initium quidem sic ille expressit:

Aedes Iliacas, prius  
urbs est exitio quam data, gaudia  
cincta; et citharae sonant  
laetanti populo plenius aureae.

Sed haec scripsisse sat sit! Uberius recensere interpretationem, utpote quae aliquot tantum strophas contineat, supersedeo.

Quo facilius variorum interpretum ars comparatione instituta aestimari possit, in priore commentatione exhibui carminis stropham quintam a septem auctoribus septies conversam; cui mori et hīc satisfaciens adscribo eiusdem stropheae interpretationem

a) PHILIPPI:

Heu late ardente video splendescere taedam,  
caelo nec illam accitus Hymen concutit.  
Nescio quid nubes video glomerarier inter,  
quae non ab ara flamma dira devolat.

Laetorum video properari festa dierum:  
sed mens, latentis haud futuri nescia,  
incidentem audit iam iam perterrita Divum,  
cuncta heu tremenda dissipantem dexterā.

b) STADELMANNI:

Ardentem video taedam, quam non tenet Hymen:  
qui volat in nubes, non sacer ille vapor.  
Festa parant laeti, volviri sed iam pede Divus  
rupturus misere gaudia progreditur.

Num Philippi aut Stadelmann versiones aequalium ad manum habuerint, non est facile demonstrare; neuter enim in praefatione huius rei facit mentionem. Utcumque est, nulla certa indicia proferre licet, ex quibus coniectura capiatur, hunc aut illum exemplaria antiquiora expilasse aut imitanda sibi proposuisse.

Sic vidimus intra saeculum XIX totam Cassandram Schillerianam non minus novies Latinitate esse donatam, immo initium

eius decies legi posse a Latinae poëseos recentioris amatoribus. Qua ex re satis superque appetat, quanto fervore saeculum praeteritum coluerit studium cum omnino Latinos versus componendi, tum recentiora carmina Latine reddendi. Hoc studium ne nostro saeculo, quod linguas et litteras antiquas in dies magis fastidit, omnino intermittatur, Latinitatis fautoribus enixe danda est opera.

FR. PALATA (Moravus).

## DE FONTIBUS IURIS ITALICI LINEAMENTA HISTORICA

### AETAS NOVA<sup>1</sup>

Ioannes Vincentius Gravina (MDCLXIV-MDCCXVIII), Calaber Consentinus, quo nemo aliis saec. XVII magis fuit in utroque iure versatus, nemo antiquitatum romanarum et graecarum studiosior et peritior, nemo in dicendo elegantior, nemo liberalior, is existit, cuius famam non obnubilarent faciles oblatratores eum depingentes adeo humanarum litterarum studiosum, ut ethnicam saperet: revera enim se ostendit catholicae religionis suae tenacissimum et Romanis Pontificibus addictissimum, quibus ideo fuit maxime carus. Is non e derivatis rivulis, sed e fontibus ipsis, ad quos ceteros revocat, confidenter haurit, nec immerito contendit ut non illotis manibus iuris aedatur doctrina, sed venusta illa exprimatur forma, quae deceat civitatem, et maxime Ecclesiam. Complura athenaea, praesertim in Germania, ubi permagni aestimabatur, eundem invitarunt; at frustra: nihil enim ei carius atque iucundius quam murmur Calabri sui maris, quam purum ac serenum Italiae caelum, quam Neapolitani sinus fa-

scinatio, quam Urbis veneranda maiestas. Ad quam tandem accessit atque paene adhaesit quum, iussu Romani Pontificis, in Romano archigymnasio docere coepit ius civile, a quo dein ad canonicon transiit.

Cuius ex operibus ad nos maxime spectant *Originum iuris civilis libri tres*, quorum primus est de ortu et progressu iuris civilis ad saeculum usque XVI; secundus de iure naturali, gentium et XII tabularum; tertius de legibus et senatus consultis. His accedit *De romano imperio liber singularis*; sed magno emolumento tibi erunt etiam *Institutionum iuris receptioris libri quatuor*, *Institutionum canonicarum libri tres*, *Opuscula et orationes*, e quibus seligenda cum primis quae sunt de recta in iure disputandi oratione et de instaurazione studiorum.

Ioannes Vincentius Gravina digne equidem claudit saeculum XVII, aperitque XVIII. In quo quidem eximios romani communisque iuris cultores aluit Italia; quae enim quaestiones de iure naturali animos exigitabant in Hollandia atque in Gallia quasi res nova, nobis vetustissima res erat, quos docuerant atque aluerant Cicero, Divus Thomas, Dantes Aligherius, S. Bonaventura, a quibus Albericus Gentilis germina hausta diduxerat, quamvis non pura, sed infecta nonnihil morbo « protestantico ». Itaque schola iuris naturalis Italorum animos non detorsit, imo nec allexit; nihil enim novi ei revelavit; allexit autem postea, quum nomine et fuso iuris naturalis diffundi apud nos quoque coepi sunt errores non pauci e schola Grotii, Puffendorfii, Leibnitii, Kantii. Quibus obstiterunt egregie ex Italis Vico, Rosmini atque Taparelli d'Azeglio. Sed de his postea; nunc praestat redire ad ius commune, quod etiam saeculo XVIII natum est in Italia cultores non infimae notae.

Ineunte saeculo floruit Neapoli Donatus D'Asti, Aprutinus (e Bagnolo prope Aquilam), in foro Neapolitano princeps, qui

primus argumentis evicit perpetuam iuris romani vitam in Europa occidentali toto medio aevo; quam veritatem suam fecit ac strenuissime propugnavit Savigny, reticito fere nostro; quod non laudaverim, nam unicuique suum. Primus etiam fabulam dissipavit Lotharium Pandectas reperisse in oppugnatione Amalphitana.

Iosephus Averani, florentinus (MDCLXII-MDCCXLVI), insignis mathematicus, humanista maxime elegans, iuris peritissimus, adeoque modestus ut ignorari mallet, quamvis eiusdem fama universam ferme iam Europam occupasset, plaudentibus sine usura praesertim Batavis, uti Nodtio, Binkersheko, Schultingio, ne studia quidem sua de scrinio promisset, ni Brenkmannus, amicissimus, habita manuscripta nonnulla ad Hollandenses insigniores iuris peritos misisset, ulti qui ediderunt: edita iam prima parte, magister indulxit ut et altera pars ederetur operis, cui amici titulum dederunt: *Interpretationes iuris*. De Averanio perbelle atticae elegantia funebres orationes exornavit Angelus Maria Ricci, Reatinus.

Eius inter discipulos eminuit Bernardus Tanucci, Consentinus (MDCLXXXVIII-MDCCXXXIII), qui Pisis docendi iuris munus suscepit tenuique magna cum laude. Assumptus a Carolo III, Neapolis rege, eiusdem fuit minister, nec tamen semper aequabilis, nec nunquam Ecclesiae inflatus. Complura innovanda curavit, aut saltem suggestit; inter quae facile invenies quae probanda quaeque reprobanda sint: inter illa quod regi novam suaserit « codificationem », ut haberi possit novissimorum codicum quasi auctor.

Guido Grandi (MDCLXXI-MDCCXLII), qui acres cum Tanuccio habuit disputationes, monachus erat Camaldulensis; mathematicus insignis, magister in Pisano athenaeo, de re nostra bene meritus est suis *Epistola de Pandectis ad Iosephum Averanum*; *Vindiciae pro sua epistola de Pandectis Floren-*

*tiae secundo edita... adversus inanes querelas et oppugnationes Bernardi Tanucci, aliquis.*

Cum his numerandi sunt Aurelius Di Gennaro, Neapolitanus (MDCCI-MDCCCLXI), cuius *Respublica iurisconsultorum* ridendo et allegorice complura habet eruditissima; Emmanuel Duni, Calaber (MDCCXVI-MDCCCLXXI), qui Romae ius canonicon, et postea civile docuit; Iosephus Toscano, ei aequalis, Calaber et ipse, qui scripsit *De caussis romani iuris*, huius historiam retexens a regibus ad Iustinianum; Andreas Guadagni, Florentinus (MDCCV-MDCCCLXXXV), discipulus Averanii et schole cultae adhaerens, et Mauritius Rickerius, Pedemontanus (MDCCXXXIII-MDCCXCVII), cuius magna cum utilitate exploranda est *Universa civilis et criminalis iurisprudentia iuxta seriem Iustinianam ex naturali et romano iure deprompta et ad usum fori accommodata*.

SYLVIA ROMANI.

## EX BATAVIA

### De certamine poëtico Hoeufftiano anni MCMXXXVI.

Accepimus et libenter edimus:

« De triginta quattuor carminibus ad certamen an. MCMXXXVI missis, ita est iudicatum :

Praemium aureum reportavit nemo. Sumptibus Legati in volumen recipientur carmina quinque, q. t. *Prope Sacellum Ioannis Pascoli*, *Videmus in Aenigmate*, *Dulce Solum*, *Satanas*, *Primus Horatii Magister*, si poëtae eorum scidularum aperiendarum dederint veniam.

Sequuntur omnium carminum nomina :

1. *Horae*.
2. *Prima puellarum classis*.
3. *Vindemia*.
4. *E Pincio colle contempla-*

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup. mens. ianuarii MCMXXXVII.



tio. 5. In Iesum nascentem. 6. Pueritiae memoria. 7. In Hispaniam civibus bellis laniatam. 8. Sobria Agricolarum Cena. 9. Cerasus. 10. Prope Sacellum Ioannis Pascoli. 11. Dulce Solum. 12. Primus Horatii Magister. 13. Videmus in Aenigmale. 14. Ex Ponto in Obitu Augusti. 15. Carmina Latina: De Juventute; De Patria; De Roma aeterna. 16. Peregrinatio Romana. 17. Helios. 18. Apud Mincium. 19. Vergili Gloriam in Elyso. 20. Equus Sicanus. 21. Sacrum Lourdense Iter. 22. Vox grati animi. 23. Horatius. 24. Ave, Maria! 25. In Horatium Poëtam. 26. Laus Muliebris. 27. In Horatium Flaccum. 28. Salvete, Aquae Terra Marique Fluente! 29. De Italorum Expeditione ad Afros. 30. Diva Caecilia. 31. Nessea Tunica. 32. Revelatio: Iesus puer Eucharistiae institutionem Joseph revelat. 33. Satanas. 34. Italae Gentis Virtus.

Ad novum certamen cives et peregrini invitantur his legibus, ut carmina latina non ex alio sermone versa nec prius edita argumentive privati nec quinquaginta versibus breviora, nitide et ignota iudicibus manu scripta ante Kal. Ianuarii a. MCMXXXVIII mittantur ad het Bestuur der Koninklijke Akademie van Wetenschappen, Trippenhuis, Amsterdam, munita sententia, item inscribenda scidulae obsignatae, quae nomen et domicilium poëtae indicabit. Ceterum iudicibus gratum erit, si poëtae in transscribendo portabile prelum britannicum (*type-writer*) adhibuerint, ac si, quemadmodum in editionibus poëtarum fieri solet, sextum quemque verum numero insigniverint.

Praemium victoris erit nummus aureus quadringentorum florenorum. Carmen praemio ornatum sumptibus ex Legato faciens typis describetur eique subiungetur alterum laude ornatum, si scidulae aperiendae venia dabitur. Id autem ante Kal. Iul. proximas fieri debet.

Exitus certaminis postremum in con-

ventu Ordinis mense Aprili pronuntiabitur, quo facto scidulae carminibus non in volumen receptis additae Vulcano tradentur.

Amstelodami, die I<sup>a</sup> m. maii, a. MCMXXXVII.

P. SCHOLTEN,  
Ord. lit. acad. reg. ab actis. »

Ex parte nostra addere possumus, auctorem carminis magna laude ornati, Satanas inscripti, esse clarissimum socium nostrum VINCENTIUM GENOVESI S. I. et carminum Dulce solum et Primus Horatii Magister, magna pariter laude celebratorum, ALAFRIDUM BARTOLI; quibus igitur ex animo iterum iterumque gratulamur.

### NON PRAEVALEBUNT<sup>1</sup>

Nec tandem Christo duri certamina belli  
Tenebricosa ferre turba destitit?  
Et devicta, annis, toties, labentibus, arma  
Niger tyrannus abnuit reponere?  
Nempe infesta volat, miserosque per arva per  
urbes,  
Beatoria fraudulenta pollicens,  
Dira lues raptat, furiisque agitata tumescit,  
Ruitque sancta, et exsecratur, omnia.  
Hinc Patriae leges aeternaque foedera turbant;  
Adulterantque vincla sacra coniugi;  
Fucosa hinc tetris pueros doctrina venenis  
Et inquinat soluta vis libidinum;  
Nixi et Relligionem ausis violare scelestis,  
(Nefas!) vel esse maximum negant Deum.  
Inferno hinc mentes lymphata furore caterva  
Rapit, perurit, eruitque et enecat.  
Novimus: immensas gens Russica pressa per  
[oras  
Acerba damna perstat ingemiscere,  
Vel plorat, miseranda suis quae funera partae  
Nova dedere civitate beluae.

<sup>1</sup> Epodas Pythiambicus II.

Barbarus et nullis inclusus finibus horror  
Cruentat arva Mexicana caedibus.

At gravius doluit (paene ipsi audisse videmur)

Novisque terra Ibera cladibus gemit;

Diruta templa igni, violata altaria foede,

Nece impia petita colla Praesulum;

Invasum in celebres profugis virtutibus aedes,

Et obstuprata membra sancta Virginum.

Quin tenerae matres, commixtaque tarda sene-  
[ctus,

Venusti et ora risibus puelluli,

Horrida, viva strues, displosa in frusta repente,

Vel ignis amne concremata profluo.

Sed Christo, ceu mite pecus, pia turba volenter  
Suo est professa fida corda sanguine:

Obscene interea morientibus ebria plebes

Probris cachinnat impiis atrociter.

Quid vos, insani, tentatis perdere templi,

Scelesti ubique et excitare proelia?

Ut pereat, conftracta malis, Ecclesia Christi?

Et una regnet urbibus licentia?

O vanis, miseri, simulacris pectora capti:

Manebit usque Vis suprema Numinis!

Ipse haec edixit Christus, cum fata superni

Bonus futura praedicabat Imperi:

Sponsae casta suae fore nunquam ut regna pe-  
[rrinent,

Nec ut caterva praevaleret Inferum.

Ipse Suo moriens perfudit Sanguine Lignum:

At inde coepit imperare saeculis!

Speravit Nero, sperarunt et postera regna

Recisa sancta Christi alumna germina:

Nequiquam! immensas aluerunt funera messes,

Segesque morte pullulavit altior.

In cassum trepidi exortae per saecula procellae

Et impulere bella saeva turbinum:

Relligio vitiis, odiis concordia pacis,

Dolis triumphat haud revicta veritas;

Impavido et vehitur sacra cymba per aquora

[cursu,

Domusque firma non labante rupe stat!

Bergomi.

IOANNES PESENTI.

Hoc patrium est, potius consuefacere filium

Sua sponte recte facere quam alieno motu.

Hoc pater ac dominus interest. Hoc qui nequit,

Fateatur nescire imperare liberis.

TERENTIUS.

### ROMA SACRA

Ss̄mi D. N. Pii PP. XI litterae  
encyclicae « de Communismo  
atheo ».

At quaenam remedia?

« Ut iam procellosis quibusvis Ecclesiae tempestibus — monet Pater amantissimus, — sic nunc etiam remedium, aliorum fundamentum et caput illud est, ut privata vita ac publica eorum omnium ad Evangelii normas sincere renoveretur, qui ad Ovile Christi se pertinere glorientur; ita ut sal terrae universam hominum societatem corruptis moribus immunem servans, reapere fiant ». Atqui licet fausta ubique spiritualis huius renovationis auspicia, videmus, « asseverandum tamen Nobis est multa adhuc ad hoc spiritualis renovationis iter urgendum praestanda esse. Etenim vel in ipsis catholicorum regionibus nimium multi habentur, qui tales fere nomine tenus dici possint; nimium multi qui, quamvis huius religionis, quam se profiteri gloriantur, opera maxime omnium necessaria plus minusve fideliter expleant, eam tamen altius in dies intellegere non curent, neque intimam sinceramque eius persuasionem assequi nitantur: eoque minus efficiant, ut externae religionis speciei internus rectae intermerataeque conscientiae splendor respondeat; illius inquietus conscientiae quae officia omnia sub divino obtutu reputet atque persolvat. Ac novimus quantopere vanam et fallacem eiusmodi speciem detestaretur divinus ille Servator noster, cuius iussu, omnes Patrem “in spiritu et veritate”<sup>12</sup> adorare debeant. Qui ad precepta fidei, quam amplectitur, vitam non conformaverit suam, non diu se servare sospitem poterit, cum tanto impetu insectationis procella saeviat; sed in hanc minacem malorum illuvionem rapietur, ideoque, quum sibimet ipsi ruinam praeparaverit, christianum quoque nomen ludibrii haberi iubebit».

Proinde, duo nominatim Domini praescripta Ss̄mis commendat quippe quae praesenti humani generis condicioni potissimum respondent: « abalienandum nempe esse terrenis re-

Cfr. fasc. sup.

<sup>12</sup> Io., IV, 23.

bus animum ac praecerto caritatis obtemperandum. "Beati pauperes spiritu"; haec prima fuere verba, quae ex ore Divini Magistri prodierunt, quum discipulos in monte alloqueretur.<sup>13</sup> Quod quidem doctrinae caput nostris vel maxime temporibus necessarium est, quum *materialismus* huius vitae bona voluptatesque ardentissime sitiat. Christiani omnes, sive divites, sive pauperes, oculos semper in caelum intenos habeant, illius sententiae memores "non habere nos hic manentem civitatem, sed futuram inquirere".<sup>14</sup> Qui divitiis afflant, non ex iis suam sibi quaerant felicitatem, neque in easdem assequendas potiore quoquo modo contendant; sed quum noverint se solummodo esse earum administratores, earumque rationem sibi esse summo Domino reddendam, iisdem utantur, tamquam validis adiumentis, a Deo acceptis, quibus virtutis fructus edant; neque praetermittant ea pauperibus distribuere, quae sibi supersint, secundum Evangelii prescripta...<sup>15</sup>

"Verumtamen ii etiam, qui tenuiore fortuna utuntur, dum, ex iustitiae caritatisque legibus res sibi necessarias acquirere, suamque conantur meliorem reddere sortem, esse tamen et ipsi debent "pauperes spiritu",<sup>16</sup> pluries superna bona facientes, quam terrena gaudia. Ac praeterea in animis defixum habeant, id nunquam homines consecuturos esse, ut miseriae nempe, dolores aegritudinesque ex mortali hac vita discedant, quibus illi quoque obnoxii sunt, qui secundum rerum speciem fortunatores videantur. Patientia igitur omnibus necessaria est; christianam illam dicimus patientiam, quae animum erectum tenet, divinaque felicitatis aeternae promissione confisum... Ita solummodo illa, solacii plena, Iesu Christi promissio amplebitur dicentis: "Beati pauperes". Neque eiusmodi pollicitationes, quemadmodum illae, quas *communistae* iactant, vana afferunt solacia, sed verba vitae aeternae sunt, quae summam rerum veritatem continent, quaeque, ut nunc in hac terra patent, ita postea, in sempiterna potissimum beatitate, patebunt. Quot enim pauperes hisce verbis caelorumque regni ex-

spectatione confisi — quod eorum esse veluti hereditatem evangelica sententia docet: "beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei",<sup>17</sup> — ea felicitate perfruuntur, quam divites tam multi, suis fatigati divitiis, easdemque augendi cupidine semper incensi, assequi non possunt.

"Maioris etiam momenti est, malis, de quibus agimus, medendis, praecettum caritatis, quod quidem nominatim eo spectat ut hoc propositum efficiatur. Quae quum dicimus, illam mente recognoscamus christianam caritatem, "patientem et benignam",<sup>18</sup> quae gloriationem omnem omnemque speciem tutelae, quae proximos deprimat, abs re arcet; caritatem illam, quae, inde ab initio christiano nomine, homines pauperrimos omnium, Christo lucrata est, servitute scilicet oppressos. Qua de re maximas iis omnibus grates agimus, qui beneficentiae operibus dediti, cum per Vincentianos coetus, tum per instituta illa, quae nova invexerit aetas, quaeque communibus necessitatibus opitulantur, corporibus animisque misericordes se praestant. Quanto magis operariorum plebs atque indigentium in semet ipsa experietur quidnam caritatis studium, Iesu Christi virtute incensum, in sua ipsius commoda conferat, tanto magis praejudicatas deponet opiniones, Ecclesiam nempe efficacitatem suam amisisse, iisque favore, qui eius labore abutantur..."

"Ut tuta aeterna vita reddatur, utque efficienter succurratur indigentibus, necesse omnino est et ad modestiorem vitam reverti, et voluptatibus renuntiare, quae tam copiose ac vel vitiorum flagitorumque plena afferuntur; et sui ipsius denique, amore proximorum, obliisci. Divina virtus, quae homines renovandivim habet, hoc christianae caritatis "praecetto novo"<sup>19</sup> continetur; fidelisque eidem obtemperatio, ut intimam pacem animis indet, terrenae huic vitae ignotam, ita malis, quae humum genus cruciant, efficaci modo medebitur.

"At vero caritas hoc nomine gloriari non potest, nisi iustitiae rationibus innitatur, ex Apostoli sententia: "Qui diligit proximum, legem implevit". Quam quidem rem ita idem Apostolus interpretando explanat: "Nam: non adulte-

<sup>13</sup> MATTH., V, 3.

<sup>14</sup> Cf. *Hebr.*, XIII, 14.

<sup>15</sup> Cf. LUC., XI, 41.

<sup>16</sup> MATTH., V, 3.

<sup>17</sup> LUC., VI, 20.

<sup>18</sup> I COR., XIII, 4.

<sup>19</sup> IO., XIII, 34.

rabis; non occides; non furaberis; ... et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*".<sup>20</sup> Si igitur, secundum Apostolum, officia omnia, ac vel ea, quibus districto iure iubemur, ut neque occidamus, neque furemur, ad unum verae caritatis praecettum reducuntur; caritas, quae operariorum debita mercede privat, non caritas est, sed vanum nomen et ficta species caritatis. Neque sane aequum est ut artifex veluti eleemosynam id accipiat, quod sibi iustitiae titulus debeatur; nec eo cuilibet contendere licet, ut se iustitiae debitum eximat, parva misericordiae dona subrogando. Tum caritas tum iustitia sua imponunt officia, quae saepe, quamvis non iisdem rationibus, ad unam tamen eamdemque rem pertinent; opifices vero, ita sua ipsorum dignitate postulante, ad haec officia omnibus dignoscenda, quibus ceteri erga eos teneantur, acerrimo quodam animi sensu, iure meritoque feruntur».

Hic Summus Christianae Ecclesiae Magister peculiari modo christianos heros officinarumque dominos peculiari modo compellat vehementer admonens ut officiorum suorum sint memores; certa enim iura sunt christiana caritatis vi agnoscenda, quae artificibus debentur quaeque Ecclesia aperte luculenterque declaravit iisdem esse tribuenda. Praeter iustitiam, quam commutativam vocant, socialis etiam iustitia colenda est, a qua nemo se subducere potest. Atvero non satis sociali iustitiae factum erit, «nisi opifices ea sibimet ipsis et familiae cuiusque suae victimum tuta ratione ex accepta, rei consentanea, mercede praebere poterunt; nisi iisdem facultas dabitur modicam quamdam fortunam sibi comparandi, ad illud communis paupertatis ulcus vitandum, quod tam late diffunditur; nisi denique opportuna erunt in eorum commodum inita consilia, quibus iidem, per publica vel privata cautionis instituta, suae ipsorum senectuti, infirmitati operisque vacationi consulere queant: "Etenim tum demum res oeconomico-socialis et vere constabit et suos fines obtinebit, si omnibus et singulis bona omnia suppeditata fuerint, quae opibus et subsidiis naturae, arte technica, sociali rei oeconomiae constitutione praestari possunt; quae quidem

<sup>20</sup> ROM., XIII, 8, 9.

bona tot esse debent, quot necessaria sunt et ad necessitatibus honestisque commodis satisfaciendum, et ad homines provehendos ad feliciorum illum vitae cultum, qui, modo prudenter res geratur, virtuti non solum non obest, sed magnopere prodest.<sup>21</sup>

«Quodsi, ut saepius cotidie accidit, in salario rependendo, iustitiae singuli obtemperare eant tantummodo condicione possunt, ut de eadem obtemperatione secum omnes convenient, eorum nimis consociationum ope, quae heros — ad vitandam rerum pretii contentionem, operariorum iuribus perniciosam — inter se devincent, tum dominorum operumque conductorum erit necessarias eas consociationes fovere atque provehere, quae ordinariae rationes existent, quibus iustitiae officia expleri possint. Sed artifices etiam suos ante oculos habeant caritatis ac iustitiae officia, sibique persuadeant, hoc modo, satius procul dubio suis utilitatibus provisum fore.

«Totam igitur oeconomicarum rerum companionem intuentibus videre licet mutuam iustitiae caritatisque operam in oeconomics ac sociales necessitudines influere non posse, nisi foederatae illae sodalitates, quas *professionales* et *interprofessionales* vocant, solidi christiana doctrinae fundamento innixa, ea constituant, pro diversis locorum temporumque adiunctis, quae corporatorum hominum collegia dicebantur».

Quo autem maior sociali eiusmodi actioni tribuatur efficacitas per necessarium est harum rerum studium, praeluentibus Ecclesiae praecettis, foveri quam maxime. Ad rem valde conferre potest «catholicarum scriptorum propagatio, quibus illuc contendatur, ut primo, varie leniterque hominum mentibus illectis, socialis ab Ecclesia tradita disciplina planius innotescat in dies; ut post, accurate aequo ac fuse adversariorum cooptis patetfactis, arma pariter indcentur, quae plurimum locorum usus ad repugnandum aptiora repererit; ut postremo consilia proponantur opportuna *Communistarum* machinationibus atque fallacis praevertendis, quibus hi, ut nitabantur, sincerae fidei homines non paucos inescaverint». Etenim «*Communismus* initio ut re erat verâ, scelestiorem, quam quod scelestissimum, se praebuit; at quum sub-

<sup>21</sup> Litt. Encycl. Quadragesimo anno, 15 maii 1931.

inde sensisset ab se populos passim abalienari, ratione belli gerendi mutata, multitudines per eiusmodi varii generis fallacias captare nisus est, quae, quid ipsae intendant, doctrinis occultant in se rectis atque illecebrosis. Ita, ut exemplis utamur, quum animadverterint *communismi* capita incensis votis ad pacem anniti omnes, se fautores communium id genus nisi sum pro pace inter gentes universas constabilienda unos omnium studiosissimos assimulant; at contra, ex altera parte populos ad contentio nem de civitatis ordinibus tollendis pariter commovent, unde acerbissimae proficiscuntur caedes; ex altera vero, pacem se non habere tutam experti, arma quantacumque possunt ingentia parant. Item nominibus, quae *communismum* ne significant quidem, conflictis, vel consociationes condunt, vel commentarios certis diebus edunt, quae illuc unice spectant, ut errores suos mediis iis hominum consortium interserant, ad quas, si secus agerent, irrepere neutiquam possent; quin etiam in catholicas religiosasve sodalitates perfidiose omnibusque viribus serpere compluries student. Item fit alicubi ut, de doctrina sua nullo modo desistentes, catholicis hominibus auctores iidem sint mutuae sibimet ipsis opera, nunc in humanitatis, nunc in caritatis provincia ultro ferendae; quam ad rem copta interdum proferunt, omnino cum christiano sensu cumque Ecclesiae doctrina congruentia. Aliis vero locis, eo simulationis iidem procedunt, ut gentibus non nunquam suadeant, in regionibus ubi aut christiana fides aut humanitatis cultus altius insederit, *communismum* esce procul dubio lenius se gesturum, facta singulis libertate, sive Summi Dei colendi, sive quae quisque maluerit de religione iudicandi. Sunt immo nonnulli qui, ex aliquantula inducta recens in *bolshevistarum* leges mutatione efficiant, in eo esse *communismum* ut a consilio cum Deo decertandi tandem aliquando absistat». Danda igitur impensissime opera, ut fideles ab insidiis caveant. «*Communismus* quum intrinsecus sit pravus, eidem nulla in re est adiutrix opera ab eo commodanda, cui sit propositum ab excidio christianum civilemque cultum vindicare. Si qui vero, in errorem inducti, opem *communismo* in regionibus suis constabiliendo tulerint, erroris ipsi sui poenas primi luent; ac quanto in antiquiore ac clariore humanitate, a christiano utique nomine invecta, gloriatur ci-

vitas ad quam perlabatur *communismus*, tanto perniciosior in eadem atheorum ira exardescet».

Denique, ultimum potentissimumque remedium Pontifex commendat constans precandi suique castigandi studium, ratus e Christi ipsis monitis omnes debere contra mala quibus aetate hac nostra humanum genus excruciat, per orationem et poenitentiam in communem veluti hostem strenue sancteque quasi compugnare.

\*\*\*

Postrema epistolae pars est de socialis Ecclesiae operis ministris eorumque auxiliari bus. Sunt in primis sacerdotes, quos Christus ipse Iesus effectores suos elegit atque constituit: si sacerdos opificibus atque egenis, quos turbolenti homines pree ceteris insidiis petunt, non occurrat, ut a qualibet eos tum praeiudicata opinione, cum doctrina commenticia aut prohibeat aut liberet, nullo negotio idem sunt *communismi* praeconibus in arbitrium cœsuri.

Atvero vis una omnium validissima egenorum tenuiorumque turbis christiane excolendis, exemplo eisdem continetur sacerdotis, qui virtutum choro circumfundatur: hac in causa Dei administratos nominatum opus est vitae modestia, tenuitate, abstinentia eo usque eminere ut sese apud fideles ad absolutissimam referant formam Divini Magistri. Quodsi utriusque cleri sacerdotes e suo cuiusque muneris officio opes convenit administrare, meminerint tamen, non modo caritatis iustitiaeque leges sibi esse diligentissime obserandas, verum etiam singulariter enitendum ut sese pauperum reipsa patres exhibeant.

Post Clerum, laici sunt in Catholica Actione militantes: actio nimurum Catholica, quum in hoc demum certet, ut Jesus Christus, tum in singulos, cum in domesticum civilemque convictum feliciter dominetur, sociali, ut aiunt, apostolatu defungi dicenda est. «Ea igitur prae primis constanter elaboret necesse est, ut sodalium suorum animos, quam diligentissime potest, excolat, atque ad certamina Dei causa certanda exerceat. Sodalium huiusmodi institutioni, si qua alia, nostra hac aetate praesentissimae ac pernecessariae, quae omnem vitae actionem, fundamenti instar, praecedat oportet, mirum in

modum conducent, primum coetus studii causa instituti, deinde habitae identidem per hebdomadam de socialibus rebus congressiones, tum acroases ex ordine factae, ac postremo omnia variis generis coepita, quae id maxime spectent, ut ostendant qua ratione qualive via oeconomiae quaestiones christiane expediantur».

Praeter vim, quae in singulos saepe privatum at salubriter semper efficienterque influit, sodalium Actionis Catholicæ est, modo verbis modo scriptis, eam late disseminare doctrinam, quae in publicis Summorum Pontificum documentis inest, quaeque ad rem publicam christiane administrandam conducit.

Ad Actionem Catholicam, in auxiliarium copiarum veluti modum, consociationes consistunt: huiusmodi quoque consociationes præstantissimas partes sibi depositant, quae nostris hisce diebus tanti intersunt, quanti interesse maxime possunt.

Sed praeterea Pontificis animus ad eas sodalitates convertitur, quae aut viris ex eodem ordine aut mulieribus coagitantur: sodalitates, praeter alias, singulares operariorum, agricolalarum, fabricationum artificum, medicorum, hererum, litteratorumque, qui quum haberent communem eruditio gradum, in ordines sibi accommodatos, ipsa veluti natura duce, coaleverunt. «Quodsi ob mutatum rerum oeconomiarum vel socialium statum, rectores civitatis suum esse duxerunt legibus peculiaribus consociationes ipsas moderari ac temperare, salvis, ut aequum est, privatorum libertate et auctoritate; Actionis tamen Catholicæ sodales, quamquam praesentium rerum rationem habeant oportet, prudenter nihilominus in causam tam studia sua conferant, nostrorum temporum quaestionibus ad catholicae doctrinae normas enodandis, quam industriam impertiant suam recte libenterque recentiora instituta eo consilio participantes, ut eadem christiano spiritu imbuant, unde rei publicae disciplina manat et civium fraterna ac mutua in agendo conspiratio».

Patris animus alloquitur deinde catholicos offices, vel adolescentes vel adulta aetate: his, sacerorum Antistibus ac sacerdotibus industriam et labore dirigentibus, est apprime conandum «ut ad Ecclesiam Deumque ipsum ingentes sui ordinis multitudines revocent, quae ira idcirco accensae quod neque iuste aestimatae neque in merito habitae fuerint honore, a Deo, proh

dolor, desciverint. Catholici artifices, qua verbis, qua exemplo aequalibus hisce suis de recta via deductis declarant, Ecclesiam benignae matris animum in omnes gerere, qui seu labore fatigentur seu afflictentur doloribus; atque, ut nunquam praeterito tempore, ita in posterum numquam ab officio filios suos tuendi discessuram esse. Quod quidem munus, ad fodinas, ad officinas, ad armamentaria, quocumque denique opus initur, proferendum, quum incommoda quandoque postulet, meminerint catholici iidem operarii Christum Iesum cum operis exemplo, permissionis quoque exemplum coniunxisse». Apud omnes autem Ecclesiae filios, e quavis ordine, e quavis gente, e quavis denique sodalicio religiosorum laicorumque hominum, iterum hoc loco fidentiusque Pius PP. X instat, ut animorum concordiam pro viribus foveant, eo magis ne seditiosi homines, datam dissidiorum occasionem nacti, id, quod maxime volunt, consequantur.

Sed ad vim propulsandam, qua «potestas te nebrarum» Dei ipsius opinionem ex intimis hominum mentibus evellere contendit, summa spes est cum eis, qui christiano nomine gloriantur, se etiam illos efficienter coniuncturos esse, qui, longe maxima nempe hominum pars, Deum esse credunt et adorant: hi pro sua quaque parte in id sincera fide incumbant, ut gravissimum illud, quod omnibus impendet periculum, ab humano genere arceant.

«Sed in huiusmodi rem christiana quoque Civitas conferat opus est, Ecclesiae in hac provincia suam commodando operam, quae, licet externis sui ipsius propriis instrumentis expromatur, fieri tamen non potest quin pree primis in animorum utilitatem cedat. Quamobrem, qui Civitatibus praesunt, illuc studia omnia ac consilia sua impendant, ut prohibeant quominus nefanda atheorum commenta, ad ruinam cuiusvis humani convictus ementita, in suos irrepat populos; quum nec ulla possit inter homines auctoritas, remota Dei auctoritate, consistere, nec ullum constare iusurandum, Dei viventis nomine sublatu». Ad rem Pontifex ea nunc iterat, quae toutes tantaque cura perdocuit, praesertim in Encyclicis Litteris *Caritate Christi*: «... Qui possunt humana consistere commercia, qui vim nancisci pactiones, ubi nullum sit conscientiae vadimonium, ubi nulla sit in Deum fides, nullus Dei timor? Hoc enim sublatu fundamento,

omnis morum decidit lex, nihilque impedire poterit, quominus gradatim, at necessario praecipites ruant gentes, familiae, res publica ipseque humanae vitae cultus». <sup>22</sup>

« In hoc praeterea eorum qui publice imperant versari curas praecipias oportet, ut illa civibus suis vitae adiumenta parent, quibus si iidem careant, rem ipsam publicam, quantumvis recte compositam, concidere prouum est; utque maxime patribus familiarum ac iuvenibus opera suppeditent. Quod ut civitatis gubernatores consequantur, bonorum possessores impellant ad ea onera, communis omnium utilitatis gratia, subeunda; quae si recusent, neque civilis societas neque possessores ipsi in tuto esse possint. At in id suscepta a rei publicae moderatoribus consilia eiusmodi sane esse debent, ut revera ad eos pertineant, qui et opibus copiisque afflant, et easdem cotidie in proximorum grave detrementum adaugeant.

« Publicam autem ipsius civitatis administrationem, cuius aliquando sunt Deo et societati rationes reddendae, tanta niti oportet prudentia, tanta sobrietate, ut ex ea cives omnes exemplum sibi sumant. Per hoc temporis, si unquam alias, molestissimum illud, quo cunctae gentes premuntur rerum oeconomicarum discrimen postulat, ut qui per amplis utuntur fortunis, tantorum civium sudore ac labore quaesitis, communem tantummodo utilitatem intendant et, ut possunt, diligentissime augeant. Publici etiam magistratus ac minoris ordinis administris ex religione cumulate modesteque officio satisfaciant, exemplum sibi hac de re a praeclarissimis illis viris petentes, qui, aut patrum aut nostra memoria, per industriam et laborem sese rei publicae commodis impendere non dubitaverint. In mutuis vero populorum commerciis quam primum commenticia impedimenta omnia in genere economico discutienda sunt, a suspicionibus potissimum et simultatibus hinc illinc enata, quippe quum populi omnes unam dumtaxat efficiant familiam, a Deo utique ortam.

« At pariter Civitatum principes Ecclesiam sinant esse liberam ad divinitus sibi concreditum munus in animorum salutem praestandum, si ve- lint, data adiutrice opera, hac etiam via, popu-

<sup>22</sup> Litt. Encycl. *Caritate Christi*, 3 maii 1932 (A. A. S., vol. XXIV, p. 190).

los a saevissima nostrorum temporum procella efficienter liberare. Iure optimo nostra hac aetate animorum vires ubique terrarum sollicite incitantur; quandoquidem propulsandum malum, si modo unde idem primo exsurget aestimetur, animos praecipue afficere dicendum est; atque ex corruptis funditus opinacionibus, luctuosa atque impia *communismi* monstra necessitate quadam consequuntur. Atqui in omnibus viribus, quae ad religionem colendam ordinandosque mores pertinent, sine controversia Catholica Ecclesia eminet; itaque fit ut humani ipsius generis salus postulet, ne eiusdem Ecclesiae actio et efficacitas intercipiatur. Si vero secus agitur, ut idem propositum rationibus dumtaxat vel oeconomicis vel civilibus intendatur, in errorem labi periculi plenum procul dubio necessarium est. Etenim ubi religio a litterariis ludis, a iuvenum educatione, a publicae vitae moribus prohibeatur; ubi Catholicae Ecclesiae administris sacrique ritus despiciuntur, nonne illa promoveantur *materia- lismi* placita, unde communismi principia ordinationesque oriuntur? Ac revera nec ulla humana potentia, vel optime instructa, nec terrenarum rerum vota, licet maxima atque excelsa spectent, effrenatos id genus motus compescere possunt, qui ex eo profluunt, quod mortalis huius vitae bona nimiopere expetuntur».

Iamvero futurum confidit Christianae reipublicae gubernator amplissimus, ut ii, quorum in manibus populorum fortuna est, « si modo gravissimum animadverterint discrimen, quod in praesens gentibus omnibus ingruit, magis profecto magisque in dies sibi persuasum habeant, eo se officio teneri, ut Ecclesiam a suo persolvendo munere ne arceant; idque eo vel magis, quod dum eadem sempiternam hominum beatitudinem assequi contendit, temporariae etiam veri nominis prosperitatii comparanda augendaeque studet ».

Antequam autem Encyclicis hisce Litteris finem faciat, eos quoque alloquitur Pater amantissimus filios, qui vel iam *communismi* peste miserrime laborant, vel in eo sunt ut eodem inficiantur. « Quemadmodum eos enixe compellamus, — ait — ut amantissimi Patris dictis audentes sint, ita Deum vehementer rogamus, ut eorum mentes collustrando, a lubrico eosdem itinere abducat, per quod in luctuosum exitium transversi agantur; atque adeo Christum Iesum, unum humani generis Servatorem, agnoscant:

“ ... nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri ” ». <sup>23</sup>

Ac denique ut exoptatam omnibus pacem Christi masuret in regno Christi, <sup>24</sup> actuosam Ecclesiae navitatem, quae atheistorum communistarum conatibus obsistit, auspiciis atque tutelae sancti Iosephi concredit, potentissimi nempe Ecclesiae Catholicae Patroni.

Ad eundem pariter finem Teutones inter atque Italos, Venetas venit Schuschnigg, Austriacae foederatae nationis Cancellerius.

\*\*\*

### Russici furores.

Dum ita pro pace et populorum concordia agitur, Russi non modo in Hispania civilis belli furores excitare atque alere pergunt, sed in ipsa patria sua exercent. Princeps qui fuit atrocissimae illius reipublicae administrationis, suorum lingua *Ghepeu* nuncupatae, Jagoda, in carcere detrusus est repetundarum omnis generis accusatus; milites, Vorosciloff duce, dominatus suum recipere conantur; Stalin praeses in Trotzky aemuli fautores crudelissime saevit, serpuntque seditiones, in Turkestan regione praesertim, quae antiquam sui iuris rem publicam instaurare avet. Quousque tandem?...

\*\*\*

### Sacrum Romae extraordinarium sollempne celebratum.

Die V mensis aprilis Romae, in regiis aedibus, sacrum extraordinarium sollempne est celebratum: Pontificius enim apud Italorum regnum legatus, Pii PP. XI nomine, Rosam Auream a Pontifice consecratam, paternae dilectionis munus, Helenae reginae atque imperatrici obtulit. Sit piae mulieri, eius familie Italisque omnibus bonorum omnium auspicium!

POPLICOLA.

*Lectio duobus modis animo fastidium ingerere solet et affligere spiritum; et qualitate videlicet, si obscurior fuerit, et quantitate, si prolixior extiterit. In quo utroque magno uti moderamine oportet; ne, quod ad refectionem petitum est, sumatur ad suffocationem.*

HUG.

### ANNALES

#### De rei publicae rationibus conventus.

Mensis aprilis MCMXXXVII plures vident de rei publicae rationibus conventus. Inter Gallos, Anglos et Belgas de novis pro Belgis institutis disceptatum est, ob quae hi a militaribus officiis sibi a Locarnensi atque a Londinensi pactionibus impositis eximentur, quum tamen incolitas ipsorum civitati servaretur, si quod bellum iuxta Rheni fluminis ripas oriturum esset. Et in has conditiones partes convenere.

Montreux, in Helvetiae oppido, congregati sunt legati civitatum, quarum res interesseret, ad regimen Aegyptiorum capitulare, quod vulgo nuncupabatur, abolidum, nempe seriem concessionum privilegiorumque civibus Europaearum nationum in Mediterraneo orientali mari tributarum; quod quidem statutum est, quamquam ad tempus pignoribusque datis.

Tiranae, in Albaniae regionis urbe capite, colloquia habita sunt inter Galeatium Ciano, exterorum negotiorum in Italia administrum, Albaniae regem Zog I, eiusque administros, ad firmando amicitiae vincula duos populos coagmentantia.

<sup>23</sup> Act., IV, 12.

<sup>24</sup> Cf. Litt. Encycl. *Ubi arcana*, 23 dec. 1922 (A. A. S., vol. XIV, p. 691).

## VARIA

Quanti libertas sit facienda<sup>1</sup>

Evidem Romani imperii magnitudo non parum etiam ad id fecit, quem per universum orbem liberas republicas sub suum iugum subiecerit; sed neque destrクト imperio Romano, tamen potuere pristinam libertatem recuperare, nisi per paucae quae-dam. Quo tempore augebatur Romanum imperium, inveniebantur in omnibus regionibus multi liberi populi, multae liberae Respublicae praecclare institutae, et libertatis defensores acerrimi, nec proinde a populo Romano absque singulari virtute vinci, ac superari potuerunt. Exempla esse possunt vel soli Samnites, quos Livius testatur tam potentes pace et bello fuisse, ut quadraginta sex annos bellum cum Romanis gesserint, nec vinci omnino potuerint ante tempora consulatus Papyrii Cursoris, qui Papyrii primi filius fuit, quamvis infinitas strages perpessi fuissent. Quo magis miseratione dignum est, si quis eam regionem aetate nostra propemodum desolatam videat, quae olim a tot liberis hominibus incolebatur, tot liberis et praecclare institutis civitatibus exornata erat. Quae omnia diversitatis sua causam habent ex libertate et servitute. Quaecumque enim civitates ac regiones libertate frauentur, augentur opibus et imperio, et hominum multitudine. Quis enim non libentius procreet homines in iis locis ubi matrimonia et opes liberae sunt, quam ubi metus est ne si quid labore tuo ad educandos liberos comparasti, id tibi a tyranno aliquo auferatur? Ubi libertas est, non modo tibi pollicere potes, liberos fore non servos, quos pro-

creas filios, sed siquidem virtuti operam dent, etiam ad Reipublicae gubernationem adhibitos iri. Augentur opes hic, non ex agriculturae modo, verum etiam ex omnibus aliis honestis artibus, quod omnes ita affecti simus, ut ea loca libenter acquiramus, quo speremus, rebus partis tuto frui posse: in huiusmodi locis omnes certatim, cum publicorum tum privatorum commodorum rationem habent, eaque augere conantur. At ubi servitutis iugo oppressi sunt homines, contrario modo eveniunt omnia, idque tanto magis quanto durior servitus fuerit. Durissima videtur servitus earum civitatum atque regionum, quae imperio liberae Reipublicae parent. Primum enim diutissima esse solet, ut nulla spes consequendae libertatis proposita sit. Deinde solent liberae Respublicae augendarum suarum virium gratia, subiectarum imperio suo civitatum potentiam imminuere, et secundum omnem propemodum exsugere, secus quam scilicet principes non omnino barbari, quales sunt aetate nostra Orientales omnis civilis vitae corruptores. Ceteri humanis artibus instituti, aequiores esse solent, et subditos diligere consueverunt, permittuntque non solum, ut consuetis artibus rem faciant, sed statuta antiqua et leges relinquunt integras, ut si ob hanc servitutem incrementum amplius accipere nequeant, conservare tamen possint res prius a se partas. Et hoc quidem loco de principatu loquor, qui ab extero homine occupatur: de tyrannide quae patriae cives invadit supra loquuti sumus. Quae omnia si diligenter contempleris, haud mirum videri debet, Samnites, eo tempore quo libertate fruebantur, ad tantam potentiam pervenisse; amissa illa, ad extrellum fuisse redactos. Qua de re Livius in bello punico inquit, Samnites unica Romanorum legione apud Nolam usque adeo oppressos fuisse, ut legatos ad Annibalem impetrandi auxilii causa mittere coacti fuerint: legatos etiam de sua miseria apud Poenum conquestos

<sup>1</sup> EX NICOLAI MACHIAVELLI opere: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI. — Cfr. fasc. sup.*

esse illos, qui propriis viribus cum populo Romano centum annos gesserint bellum, et saepe binos exercitus consulares sustinuisse, nunc eo miseriae redactos, ut unicam legionem sustinere nequeant.

## LIBRORUM RECENSIO

FR. PALATA, *Anthologia poëseos bohemicae latinis numeris aptata* (Venit 24 Kc apud Henr. Lorenz, Trebic, in Moravia).

Non sane a multis, quod quidem sciam, exterarum nationum viris latinae musae excoluntur; eoque magis Fr. Palata laudandus est, qui, postquam nonnullos latinos fasciculos edidit, hanc poëseos bohemicae anthologiam composuerit. Abhinc multos iam annos ille sibi munus sumpsisse videtur suae patriae poëtarum specimina latinis versibus exornandi; multaque eorum carmina et peculiaribus opusculis et periodicis rerum classicarum libellis iam vulgavit, multoque plura hoc volumine collegit, in quo plus quam milia versuum nitide impressa leguntur.

Flores, ut par est, hic Palata selegit, qui non eodem odore flagrant; sunt breviora, sunt longiora carmina; est ubi imus animi sensus lyricis versibus pateat, ubi acris vox in amorem patriae incendat; est ubi epyllia suspenso animo ita legantur (exempli causa adducuntur tantum *Thesaurus et Sponsus redux Iaromiri Erben et Amarus Iaroslai Vrchlicky*) ut quandoque cum quibusdam Italorum carminibus superioris saeculi sua sponte comparatio occurrat legentibus; est demum ubi tot peregrini vitae usus non sine animorum oblectatione inveniantur. Nec desunt epigrammata, leporis saepe plena, et carmina poëtarum Germanicorum et ipsa latine expressa, immo singula insunt specimina, etiam poëseos Polonicae, Gallica, Anglica. Adeo multa parvo libello vix quindecim et centum paginarum continentur.

Quum bohemicam vel aliam linguam slavicam nunquam attigerim (idque neminem vitio puto versurum), fateor ex hoc volumine non modo plurimorum carminum, sed plurimorum quoque poëtarum me nunc primum notitiam hausisse, gratesque ob hanc rem egregio poëtae, qui latine transtulit, libenter ipse refero, ut libenter ii omnes referent, in quorum manus hoc opus est perventurum.

Quum nostri temporis poëtarum carmina hīc habeas latinis versibus aptata, quaerendum in primis erit quas rationes in hoc opere conficiendo auctor sit secutus, quod aliis, utramque linguam callentibus, inquirendum relinquo. Hic unum tantum dicere sufficiat, Fr. Palatam vere latinitatis peritissimum sese praebere, qui quum recte atque eleganter magnam versuum varietatem adhibeat, tum versus bene sonantes numerososque ita conficiat, ut persaepe tibi non ab aliis vernaculo sermone composita latine convertere, sed ex se ipso argumenta deponere videatur. Perraro, mea quidem sententia, versus deprehendas, quos plus ad unguem velis; non si tamen sunt, quorum similes nullos unquam apud antiquos latinos inveniamus. Ceterum quisnam in nugis iure offendatur, ubi plura niteant? Pluraque sane hīc nitent. Quod si quis in mentem revocet quae carmina quandoque nostris temporibus legere detur, non tam emunctae naris erit, ut hos versus Palatae improbet, qui clari et venusti sunt, semper, ni fallor, perspicui, et vere latinitatem redolentes. Hoc unum dolendum quod, quum tam clara tamque facilis vena versus concludat, nunquam musas ipse excoluerit, ut sui quoque ingenii specimina legentibus offerret, at tantum aliorum carmina vertenda sibi sumpserit. «Causa in propatulo est — ita, qua est modestia, ipse ait —: non mihi satis esse veniae poëtiae persuasum habeo, invita autem Minerva carmina pangere nefas duco». Attamen complura aenigmata composuit, quae olim *Vox Urbis* aliaeque ephemeredes vulgaverunt, et nostra nunc *Alma Roma* in suis paginis vulgare coepit.

Quod ab anthologiam reliquosque fasciculos (*Nugae metricae, Horae subsecivae, Lyra Romana*) attinet, puto Fr. Palatam bene de suis civibus meruisse, quum tot carmina latine vertendo in exterorum virorum cognitionem attulerit, idque ominam fore ut alia latine perficere perget: is enim est qui, si non aetate (n. est a. MDCCCLXX), at mente penitus vigens otioque iam rude donatus fruens, alia conficere possit.

Messanae

IOS. MORABITO.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI. Ep. Porphyreon.,  
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. Iosephus FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS